



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

VI. Sex Religiosorum conuentus ex Anglia emigrant: moniales vero quod  
Anglos aliquot ad Catholicam fidem conuertissent, puniuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

disset, quod fateri tamen constantissime recusa-  
vit. Idem Briantus in lacum coniecit, indeque  
post octo dies retractus est ad equuleum, quem  
passus est omnium gravissimum hoc ipso die se-  
mel & die postero bis, ex ipsius tamen ore post au-  
ditum se nihil quicquam doloris sensisse in ulti-  
ma hac corporis sui dissensione, cum maximè sa-  
virent tortores, ut ingentes ei afflictiones inferret.  
Joannes Prynus presbyter, proditorum cuiusdam  
Elioti, quem ille plurimis beneficijs affecerat, cap-  
tur, eodem etiam die Joannes Schirtus, & Geo-  
rgius Godsalvus presbyteri comprehensi, omnes in  
turrim conijciuntur.

Ceteros vero omnes quis enumeret? Quæ-  
cumque horribiliora tormenta, quoscumque cru-  
ciatus exquisitissimos, quoscumque carceres spur-  
citæ & horroris plenos cogitatione quis sibi fig-  
gat, vix tamen eorum quæ Catholici in Anglia  
passi sunt, vel minimam partem assequetur. Infi-  
niti certe Prælati, Doctores & Confessores in car-  
ceribus passim mortui sunt: qui etsi olim ad nul-  
lum alium usum destinati fuerint, quam ut pro-  
ditorum & scelestorum hominum essent custo-  
diæ, tum tamen omnis generis, sexus & ætatis  
hominibus, eo tantum quod Catholicam profite-  
rentur religionem, pleni erant. In Briduelum car-  
cerem olim meretricum custodiæ assignatum, hon-  
estissimæ matronæ & virgines conijciebantur,  
inter quas iuvenula quædam Tonsonia nomine,  
miram constantiam præstitit. In Cornubia  
provincia carcer est, in quo captivis præter pa-  
nem benevolentium & aquam sicut corruptam ni-  
hil præbitum fuit. Idem dum Londinum (quæ  
urbs centum leucis inde distat) deducuntur, equis  
macilentis per caudas invicem connexis sine fræ-  
no, sine sella impositi, cruribus infra equi ven-  
trem, & manibus ad tergum colligatis abripiebantur:  
quæ iter facerent, à vulgo passim irrisi, & iniu-  
rijs affecti. O præclaros conscientiarum Liberarum  
patronos!

V. Inter alios P. Patesonus, in Collegio Rhe-  
mensi educatus, in eodem carcerem cum septem  
furibus detrusus fuerat: quos ille oratione sua &  
admonitione ita convertit, ut ad supplicium  
producti, fidem Catholicam omnes constantem ad  
extremum usque spiritum professi sint. Quæ de re  
accusatus ille & crudelissime tortus, inter  
summos cruciatus animam Deo placide red-  
didit. Tres præterea ex eodem Collegio sa-  
cerdotes, & duo Nobiles laici, quod cum

ijs communicassent, extremo supplicio Londi-  
ni affecti sunt. Nobilis etiam femina Coplæi fi-  
lia, cum alio Nobili capitis pœnam luerunt, quod  
Catholicum sacerdotem hospitio suscepissent,  
& quamvis vitæ gratia ipsis facta esset, in  
Calvinisticam Synagogam frequentare vellent,  
ut tamen ea gratia uterentur, adduci non po-  
tuerunt. Tres filias Helenam, Catharinam, &  
Mariam, quarum maior natu vir. XVI. ætatis  
annum attingerat, matrona quædam nobilis, A-  
lano Cardinali cognatione iuncta, habebat: quæ  
quum accepisset Edmundum Trafordum Regi-  
emissarium, pervicacem Calvinistam brevi affore,  
& grave periculum quum ob generis splendorem,  
tum opes (quas emissarij isti unice venantur) sibi  
imminere intelligeret, spiritualibus armis, &  
in primis sacro illo viatico munita in tutum locum  
se recepit, relictis domi filiabus, quibus in-  
noxiam ætatem præsidio fore sperabat. Nec mo-  
ta. Domus omnis ab hæreticis perquiritur, filia  
ubi mater sit rogatur. Quam ut proderent, quum  
nullis precibus aut minis adduci possent, metue-  
rent vero ne cruciatibus subiectæ fateri cog-  
erentur, clanculum noctu & ipsa discedunt, &  
quatuordecim dierum confecto itinere, tandem  
ad matrem perveniunt: cum qua in Galliam tra-  
jicientes, Rhemos ad cognatum suum Alanum  
conferunt. Unius ex proceribus, Morganti no-  
mine, uxori, ob Catholicam fidem accusatæ, Re-  
gina impunitatem promiserat, si modo templum,  
dum concionem haberent Protestantes, raptim  
veller transcurrere: quæ quum respondisse, mal-  
le se mille vitas perdere quam quidquam in Ca-  
tholicæ religionis præiudicium facere, multorum  
annorum carcere gravissimisque molestijs exerci-  
ta fuit & defatigata. (a) In festo Paschatis tres i-  
tidem feminæ, cum sacerdote qui Missam celebra-  
rat, captæ, & ludibrij causa per frequentissimas pla-  
teas, & ille quidem sacris indutus vestibus, tradu-  
ctæ & in carcerem detrusæ, ex legis præscripto  
multam persolverunt: ex quibus una Clichera,  
quod mira constantia respondisset, crudeli mortis  
genere extincta fuit, inter duas tabulas saxorum  
pondere exanimata.

VI. Imprimis vero Religiosorum conventus in  
Angliæ regno magnas sustinebant calamitates, a-  
deo vix quatuor, omnes inde in Belgium trans-  
fugerint, Franciscani nempe & Carthusienses: tum

X

duz

a Vid. hist. Holings. Anno 1574.



dua Monachorum familia. Quum autem ea qua S. Brigita consecrata erat, crescente quotidie monialium numero, sed re ditibus decreverentibus, diu tueri se non posset, decretum inter Catholicos fuit, ut grandiores natu Rothomagum migrarent; iuniores ad parentes & cognatos se reciperent. Id quum regina comperisset, vixit his persuadere conata est ut Calvinisticam doctrinam amplecterentur; eumque in finem per procerum hereticorum familias (erat enim pleraque nobilitate profapia) eas distribuit. At tantum abest ut hereticorum eis conversatio nocuerit ut etiam multas ipsa suis persuasionibus, vita & exemplo ad Catholicam adduxerint religionem. Id quum magistratui innotuisset, in carceres inde & nonnulla quidem perpetuos, detrusa fuerunt Anno M. D. C. I. quo auctor Gallice hæc conscripsit, Burgigalam femina quædam religiosæ ex Anglia appulsa fuit: quæ opibus non mediocriter, cognatorum opera instructa, in Hispaniam inde profecta fuit, monasteria ibi suæ professionis ingressura. Quis tantam constantiam, tamque admirabilem zelum non omnibus modis prædicandum dicat: quo imbecilles mulierculæ accensæ, nulla viatum incommoda nulla maris aut terræ pericula, solo diuino fultæ amore, reformidant.

MIRA QUATUOR PUERORUM  
constantia. Jesuitarum in Angliam ingressus.  
P. Edmundi Campiani, & aliorum sacerdotum  
martyrium; cum miraculis aliquot.

## CAPVT XIII.

## ARGUMENTUM.

- I. Etiam infantes & pueri ab hereticis Anglis martyrio affecti.
- II. Catholici in Angliam nullam ob aliam quam religionis causam puniuntur.
- III. Iesuite in Angliam ingrediuntur.
- IV. Edictum contra eos qui publicis hereticorum concionibus interesse recusant. P. Campianus captus & martyrio afficitur.
- V. Itaque septem alij.
- VI. Ioannis Nelsonij martyrium, constantia, & miracula in ipso & alijs diuinitus facta.

I. Ge. Lector, iam in arenam Pythiorum ludorum descendamus, non quidem ut Pancratiastis bene armatos, fortitudinis & roboris sui egregia specimina edentes, nec ut pueros cum pueris, ut olim solebat, commisos sed potius, ut pueros, eosque paucos, cum magna hereticorum manu ad eius confusionem congregantes spectemus. Supra quidem hæresis velut arena inclusam ab utriusque sexus hominibus in Anglia victam ac prostratam vidimus; at iam videbimus, ingens hoc, informe & horridum monstrum ne contra pueros quidem se tueri posse. Leones à mulieribus & pueris vim abstant: quibus tamen sauisimi hi Leopardi & Anglicanæ Tigrides nequaquam pepercerunt. Sed ad rem ipsam veniamus.

Anglus quidam Nobilis quatuor habebat filios, Thomam, Robertum, Richardum & Ioannem: quorum natu maximus iam decimum sextum ætatis annum agebat. Hi dum in Lancastrensi agro sacerdotem qui diuinum celebraret officium, quærent, à magistratu omnes comprehensi fuerunt. Ad iudicium tribunalia producti, & ut Catholicam desererent religionem & sacerdotem proderent, tam minis quam promissis frustra tentati, tandem longa fame & siti cruciati, quum iam iterum producendi essent, largiori vini potu inuitantur, ut ebrii vel tanto facilius steterentur, vel in responsionibus hallucinarentur. At malitiose secum magi grauer conquesti, eod die nihil respondere voluerunt. Inter alia multa illis magnifice à Comite Darbiensi promissa fuere: quæ tamen omnia magnis animis illi contempsit. Pædagogis deinde hereticis in disciplinam dati sunt; ut ab eis corruptæ doctrinæ lac imbiberent. Sed hic quidem astus processit. Tandem res natu maiores fuga se ex hereticorum manibus eripuerunt, & relicti ob Christiamorem omnibus fortunis, in Collegium Rhemense adscribi voluerunt.

II. Verumenimvero operæ precium est ipsorum hereticorum de ijs qui Elisabethæ eiusque Consilij iussu ad supplicium rapti sunt, loquentium testimonia proferre. Aiunt, illos non ob religionem, sed prodicionem supplicij fuisse affectos. At contrarium euincunt, tum Consilarijs ab Elisabetha datæ commissiones, tum leges supra positæ. Audiamus ipsorum verba. Mense Iulio inquit Holingshedo & Stouius in Annalibus Angl. (1559.) Nicolaus Hethus alias Heath Archiepiscopus Ebo-